

esse, quarum *prior ex naturæ lusu* hos ita *formatos esse* statuit; *altera vero per Seminium quoddam occultum in terra generari ac propagari*, hoc lapidum genus, tradit; *ultima denique Diluvii Universalis* (cujus mentionem facit Sanctus ille Vir **MOYSES**, *Gen. VII.*) *monumenta existere* credit. Cum vero *primam sententiam* refutent exempla quotidie fere reperia & reperiunda, & *altera* minime rationi conveniat, nullaque causa, nullusque modus evidenter probari ac demonstrari possint, & *ultima* probabilior sit, multisque experimentis comprobata, eam optimam ac verissimam pronuncio. Nolo hic causas & modum mutationis animalium & vegetabilium in lapides explicare, quia alii auctores sat prolixè de his egere; quorum facile princeps est **JO. WOODWARDUS**; quem sequuntur **JO. JACOBUS SCHEUCHZERUS**, **JO. JAC. BAIERUS**, **DANIEL SIGISMUNDUS BUTTNERUS**, & alii. Sententiam horum Virorum Curiosorum roborant *conchilia petrificata*, *pisces in lapides mutati*, in quibus *squamæ distinctæ* conspiciuntur, vel *semipetrificata*, ubi *skeleton*  
cum